



S. g.
D. GOTTLÖB EVS. OELTZE

PROFESSORIS PVBL. ET COLLEGII SCA.

BINORVM ASSESSORIS

28

1769, 2

13

A C T I O N E R E A L I

ADVERSVS QVEMCVNQVE

P O S S E S S O R E M

N O N C O M P E T E N T E

P R O G R A M M A.

I E N A E

E X O F F I C I N A H E L Z E R I A N A.

1769.

THEATRUM MUNDANUM
LIBER I. DE OCEANO.

LIBER II. DE MARE.

LIBER III. DE RIVIS.

LIBER IV. DE RIVIS.

LIBER V. DE RIVIS.

LIBER VI. DE RIVIS.

LIBER VII. DE RIVIS.

LIBER VIII. DE RIVIS.

LIBER IX. DE RIVIS.

LIBER X. DE RIVIS.

LIBER XI. DE RIVIS.

LIBER XII. DE RIVIS.

LIBER XIII. DE RIVIS.

LIBER XIV. DE RIVIS.

LIBER XV. DE RIVIS.

LIBER XVI. DE RIVIS.

LIBER XVII. DE RIVIS.

LIBER XVIII. DE RIVIS.

LIBER XIX. DE RIVIS.



§. I.

Instituti ratio.



Iam saepe questi sunt eruditii solidiori iurisprudentiae operam nauantes, quod enunciationes istae generales de veritatis legalibus in ipsis legibus partim obuiac, partim usu et consuetudine docendi dicendique tritissimae, quas *regulas iuris*, *brocardica* et *paroemias* appellant, quam saepissime fallant. Praecipius ille elegantioris iurisprudentiae restaurator **JACOBUS CVIACIVS ad L. 59. n. Sct. Trebell.** omnibus iuris regulis vocem plerunque addendam esse, pronunciat, *quia nullae necessariae sint, et si pleraque verae.* Ipsi regularum artifices **ICTI** veteres cautum earum usum maximopere commendant. Audiamus **PAVLVM**, qui in *L. 1. n. de R. I. non ex regula, inquit, ius sumatur, sed ex iure quod est, regula fiat.* Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur,



ditur, atque ut ait SABINVS, quasi caussae coniecio est,
 quae simul quum in aliquo vitiata est, perdit officium suum.
 Idemque IAVOLENVS innuit L. 202. nr. de R. I. quae
 ex eius libris regularum desumpta est: *Omnis definitio in iure
 ciuili periculosa est, parum est enim, ut non subverti possit.*
 Non itaque oleum et operam perdunt, qui circa hasce
 regulas ita versantur, ut in veritatem et extensionem ea-
 rum sollicite inquirant, ex quo iure haustae sint, antiquo
 aut nouo, communi aut particulari, quale fundamentum ha-
 beant considerantes, atque legibus diligenter collatis de ea-
 rum vi ac potestate statuunt a). Quod eo magis necessa-
 rium est, quo frequentior et in foris et in scriptis ICTORUM
 eiusdemmodi regularum usus esse solet, ad quas de iure du-
 bio certantes tamquam ad sacram ancoram configiunt. No-
 bis iam propositum est de ambitu eius regulae differendi,
 quae actioni reali aduersus quemcunque possessorem locum
 facit. Qua quidem in re ita versabimus, ut paucis de
 actionum divisione praemissis, in ipsius regulae veritatem
 inquiramus, deinde an exceptiones admittat? et denique
 exceptiones ipsas sigillatim tractemus.

a) conf. ILLVSTR. DAN. NETTELBLADT praeognita in
 risprudentiae positivae generalia §. 49. et seq.



5

einmodi iuris boni s. ill. utrumque aliquid in
aduersum non possit. utrumque illi iuris que non
sunt legi obiectu. *Diuisio actionum.*

*Actio seu remedium persequendi ius aliquod in iudi-
cio aduersus denegantem, vel possessoria est, qua momen-
taneum b) illud ius possessionis persequimur, vel petitoria,
qua ius firmiter acquisitum. Illa interdictum possessorium
scilicet c) vocatur. Licet enim interdictum proprie sit ius-
fus magistratus, quo quid in causa moram non ferente agen-
dum sit ipse statuit, non dato iudice pedaneo pr. *Inst. de
interd. d)*; inualuit tamen, vt impropriete quadam ser-
monis posito effectu pro causa, ipsae actiones extraordi-
nariae pro impetrando eiusmodi iussu competentes, *interdicta* vocarentur e). Actio autem petitoria, vel de sta-*

b) *momentaneum* ius dicitur, quod aliqui interimistice tantum tribui-
tur donec scilicet aduersarius probavit rei ad se pertinere L. vtt.

C. qui legit. person. stand. in iud. hab. Huic opponitur *ius in specie*
seu firmiter acquisitum.

c) non enim omnia interdicta ex iure possessionis competere tam ex
pr. I. de interd. quam ex L. I. §. 2. n. cod. satis patet.

d) conf. EVER H. OTTO. in *commentar. ad Inst. tit. de interd.*

e) vid. CICERONIS orat. pro A. CAECINA vbi remedium recupe-
randae poss. unde vi aduersus SEXT. AEBUTIVM adhibitum,
interdictum vocat. Nunc vero, inquit cap. 1. quis est, qui aut vim
armatis hominibus factam relinqui putet eportare, aut eius rei lexio-
rem actionem nobis aliquam demonstrare possit? - cum videatis ni-

A 3 hil



tu hominis mouetur, vel de iure quod statum hominis non constituit. Illa *praeiudicialis* f), haec non *praeiudicialis* vocatur. Quae posterior prouti, vel ius reale, vel personale vel vtrumque simul persequitur, *realis* seu *vindicatio*, vel *personalis* seu *condictio*, vel *realis mixta* est. *Actio* igitur *realis* generali sensu quo mixtam comprehendit, est *actio non praeiudicialis*, qua *ius aliquod reale aduersus negantem persequimur* g).

§. III.

Actio realis in regula aduersus qualemcumque possessorem competit.

Actio realis in genere considerata aduersus quemcumque rei possessorem competit. Descendit enim ex iure reali cuius res quaedam nostra est, sicque facultatem eam a quovis possessore vindicandi nobis tribuit. Idem IMPERATOR confirmat §. 1. I. de act. vbi actione in rem ad-

uer-

bil aliud actum, NISI POSSESSIONEM PER INTER-
DICTVM ESSE REPETITAM, addc AVG. DE LEYSER
spec. 498. m. 1. 2. ANTON. SCHVLTING. ad IVL. PAULI
sent. recept. tit. 5. not. 1. in *iurisprudentia antieiusin*. p. m. 453.

f) de notione actionum praeiudicialium et personalium subtiliter dis-
putat HERM. VVLTECIER in *discept. schol. cap. 3. et 4.* Mar-
purgi 1600. in 8.

g) conf. CELEBER. IOH. LVDOV. SCHMIDII *systemati-
cam descriptionem doctrinae de actionibus* p. II.

versus omnem eum agi posse docet, qui de re aliqua nostra controuersiam mouet, quamvis nullo iure nobis obligatus sit. Quia propter etiam vindicationes *actiones in rem* scilicet *sine respectu ad personam* competentes in legibus vocantur, atque earum formulae *in rem conceptae* scriptaeque erant, non *in personam* aduersarii. Dicebat enim actor: *aio hanc vel illam rem meam esse*, vel: *aio mihi ius esse eundi aquam ducendi* etc. Atque hoc est quod in prouerbii consuetudinem venit: *vbi rem meam inuenio ibi vindico.*

§. IV.

Haec tamen regula non caret conceptione.

Quam quidem regulam tam generaliter exprimunt
 IOH. STRAVCHIUS ^{b)} IVST. HENNING. BOEHMER ⁱ⁾ CARL. FRID. PAELIKE ^{k)} aliqui qui de actionibus tractant, ut facile in eam adduci opinionem possis, quod sit ex earum numero quae exceptionem plane nullam admittunt. Quid? quod definitioni actionis realis hunc characterem addant, quod aduersus quemcunque possessorum institui possit ^{l)}. At enim vel solum PUBLICANAE.

^{b)} de actionibus §. 9. Ienae 1670.

ⁱ⁾ de actionibus Sect. 1. cap. 3. §. 3. litt. γ).

^{k)} de actionibus p. 125. §. 5. Büzov et Wismar 1768. 8vo.

^{l)} vid IOH. FRID. PAELIKE cit. loc. p. 127. §. 4. GODO-

F R E D.



N A E actionis exemplum satis probat, laudatam regulam
perpetuam et omni exceptione maiorem non esse. Hanc
etenim in rem competere quis dubitat? et tamen, ut
mox declarabimus, aduersus qualemque possessorem mi-
nime competit.

§. V.

Notioni actionis realis taliscomodi exceptione
non repugnat.

Quamvis autem actio realis ex iure in re moueat, ut
atque hoc ius, si naturali sua vi praeditum est, quemcun-
que alium a possessione rei excludat; non tamen omnis actio
realis ius in re perfectum et omnibus suis numeris absolu-
tum supponit. Aliud etiam est *ius in actu primo*, ut aiunt,
aliud *in actu secundo* seu facultas illud in casu quodam obvio
exercendi. Etenim variis modis effici potest, ut ius ali-
quod ad certum tempus vel aduersus certam aliquam perso-
nam exercere non sit permisum, quo casu *quiescere et dormire* dicitur ^{m)}. Ex quo, ut ego quidem puto vberime
apparet, quod notioni actionis realis minime repugnet, si
eam interdum aduersus qualemque possessorem non
competere contendimus.

§. VI.

FRED. DAN. HOFFMANN in collectione actionum earumque
diuinitate. §. 4.

^{m)} IOH. BERNH. FRIESEN. d. de iure dormiente Ienae 1714.



§. VI.

De quibusdam exceptionibus apparenter talibus.

Ad veras autem laudatae regulae exceptiones non pertinet, quod remedia possessoria aduersus quemcunque possessorum non profint. Pessime enim momentaneae possessionis ius ex quo resultant, speciebus iuris in re adnumerari, iam alii docuerunt ⁿ⁾. Nec quod actiones mixtæ, quatenus sunt personales, aduersus personas obligatas tantum competant. Has similesue exceptiones spurias, quae scilicet sub genere in regula expresso non continentur, siccō pede iam praeterimus atque ad veras pro instituti ratione h. e. breuiter explicandas nos accingimus.

§. VII.

Actio realis aduersus aliquem possessorum non competit vel sua natura vel per accidens.

Potest autem actio realis aduersus certum aliquem possessorum non competere vel *sua natura*, quia scilicet essentiale actionis fundamentum ita comparatum est, ut exinde iam intelligatur, eam aduersus omnem possessorum moueri non posse, vel *per accidens*, si nempe possessor eiusmodi ius possidendi acquisiuit, quod efficit, vt ius agendi actoris quies-

ⁿ⁾ vid CONSULT. IOH. CHRIST. GRVNERI d. inaugural. sub praesidio PERILLVSTR. IOH. CASP. HEIMBVRGII habitam de retractu gentilitio iure in re §. 9.



quietat et aduersus eum exerceri nequeat. Sic *rei vindicatio* in se spectata aduersus qualemcumque possessorem recte intenditur; possunt tamen ius retentionis, praescriptio mere extinctiva o), et quae sunt reliqua, efficere, ut aduersus vnum alterumue possessorem non prospicit.

S. VIII.

*Publiciana actio per se aduersus qualemcumque,
possessorem non competit*

In eo itaque genere vindicationum, quas *per se et sua natura* aduersus quemlibet possessorem moueri non posse diximus, primum locum occupat **P V B L I C I A N A I N R E M A C T I O**, quam ob difficillimam dominii probationem **P V B L I C I V M** praetorem introduxisse **I V S T I N I A N U S** refert §. 1. *I. de act.* Competit autem haec actio ei, qui in vsucapiendi conditione constitutus est aduersus infirmiore iure possidentem, ad rem cum omni caussa restituendam *L. I. 2. de Publ. in rem act. IVST. HEN. BOEHMER de actionib. Sect. 2. Cap. 2. §. 19.* Aduersus eum itaque possessorem recte mouetur, qui non aequo in vsucapiendi conditione constitutus est, quam actor, sicut rem aut bona fide aut iusto titulo non accepit. Minime vero aduersus eum, qui ipse vsucare potest, ad quem a possessione rei excludendum vsucapiendi conditio, quam *dominium praetorium vel quasi do-*

mi-
o) qua scilicet faluo actoris iure reali vindicatio aduersus possessorem competens tantum exspirat. *L. 8. §. 1. C. de praef. 30. vel 40. an.*

minium appellant, non sufficit. In pari enim causa melior est ratio possidentis.

§. IX.

*Hereditatis petitio etiam ob rem singularem
institui potest.*

Altera, quae ad hanc actionum realium classem pertinet, est ex iure hereditario, *hereditatis scilicet petitio*. Cuius, si vlla vñquam in iure, definitio periculosa est. Videlicet tamen sic describi posse, quod sit actio petitoria, qua aliquis postulat, vt heres declaretur, atque possessionem eius, quod ad hereditatem pertinet, consequatur. Non dixi, quod vniuersitas bonorum a defuncto relictâ hac actione petatur; potest enim et ab eo moueri, qui pro parte quota heres est *L. i. §. 1. ff. si pars heredit. petat*, quam *hereditatis petitionem partiariam* dicunt. Quin ob rem quoque singularem institui eam posse cum *IUST. HENNING. BOEHMERO p)* statuo, qui sententiam suam *L. 14. in f. ff. de heredit. petit* confirmat. Nec male. Possunt tamen alia loca addi, quae eam, vt ego quidem arbitror, extra omnem dubitationis aleam constituunt. Audiamus *VLPIANVM*, qui in eo occupatus, vt quid hac actione petendum sit euoluat, in *L. i. §. 2. π. si pars heredit. petat*. sequentia proponit: *qui hereditatem vel par-*

B 2

tem

p) citat. tr. *SIG. 2. cap. 3. §. 16. not. p).*



tem hereditatis petit, is non ex eo metitur, quod possessor
occupauit, sed ex suo iure, et ideo siue ex asse heres sit, to-
tam hereditatem vindicabit, LICET TV VNAM REM
POSSIDEAS, siue ex parte, partem, licet tu totam here-
ditatem possideas. Petit igitur heres ex asse, si aduersarius
rem singularem possidet, ut ex asse heres declaretur, et ea-
tenus totam hereditatem vindicare dicitur **VLPIANO**, at-
que ut eam rem singularem, v. g. domum, quam reus possi-
det, consequatur cum omni causa. Idemque **PAVLVS**
luculenta ratione confirmat, qui in L. 15. **π.** de except. rei
iudicat: si hereditatem, inquit, petam ab eo qui **VNAM**
REM possidebat DE QVA SOLA CONTRAVERSIA
ERAT, etiam id quod postea coepit possidere, restituet; et
alibi **VLPIANVS** L. 13. §. 7. **π.** de heredit. petit. Viden-
tur tamen in nomine huius actionis praesidium aliquod
inuenire dissentientes. Quemadmodum enim hereditas in
re singulari non consistit, sed in vniuersitate bonorum a
defuncto relictarum: ita nec alia actio sub hereditas petitionis
nomine intelligi posse videtur, quam qua vniuersitas ista
postulatur. Sed hoc dubium remouet diuersa vocis signifi-
catio, hereditatem enim non solum vniuersitatem bono-
rum indigitare, sed et ius hereditarium, pauci ignorantem.
Hereditatis itaque petitio ab eo appellatur, quia, ut modo
VLPIANO duce exposui, ius hereditarium actori vindi-
cat,

DOMINI BARTHOLEM BRISSON, de **V.** **S.** sub voce *hereditas* n. 1. 2.



cat, res autem cuius restitutionem a reo vrget, omnino
potest esse singularis.

§. X.

*Hereditatis petitio tantum aduersus eum datur qui
vel pro herede vel pro possessore possidet.*

Minime autem haec actio aduersus quemcunque pos-
sessorem recte mouetur, sed ut tradit **V L P I A N V S** tan-
tum aduersus eum, qui vel pro herede, vel pro possessore
possidet. *L. 9. n. de heredit petit. Pro herede hoc loco*
possidere dicitur, qui interrogatus in iure, vel hodie qui
in litis contestationis termino *r)* sibi ius hereditarium tri-
buit; *pro possessore* autem, qui nullum possessionis suae
titulum edit, ex quo scilicet ius in re acquiri potest, sed
v. g. interrogatus cur possideat? responsurus sit, quia po-
sideo

*r) Iure Rom. antiquo antequam hereditatis petitio moueretur inter-
rogatio in iure h. c. coram magistratu praecedere solebat. Certa
enim formula agendum erat, nec vlla diuersarum actionum cumu-
latio admittebatur. Quae tamen ratio sublatis a THEODO-
SIO et VALENTINIANO actionum formulis cessauit.
Hodie in Germania taliscomodi interrogatio plane necessaria non
est, potest enim actor incertus, quo titulo reus possideat, rei
vindicationem et petitionem hereditatis alternatiue cumulare vid-
ILL. IOH. PHILIP. CARRACH. *scilicentia de interrogatio-*
*nibus in iure earumque debet in foris Germanicis §. 10. et seq.**

Haleae 1751.



sideo L. 11. et 12. π. de heredit petit s). Ex quo prono al-
ue fluit, aduersus titulo singulari possidentem hanc action-
em non dari. Titulo autem singulari possidet, vt ex na-
tura oppositorum patet, qui eiuscmodi possessionis caussam
laudat, ex qua ius in re singulari acquiri potest. Ut ecce
si reus respondet, sibi praedium aliame rem a defuncto
relictam mortis caussa donatam, legatam vel etiam in pig-
nus traditam esse, titulo singulari possidere videtur, dummo-
do in continenti non appareat laudato titulo vitium aliquod
inesse, ex quo plane inualidus est, tunc etenim idem est, ac
si nullum edidisset, sique pro possessore possidet, et peti-
tio hereditatis recte intenditur. Atque haec est mens
VLPIANI in L. 13 §. 1. π. de beredit petit: omnibus etiam
titulis hic pro possessore haeret et quasi iniunctus est. Denique
et pro eratore titulo haeret, nam si a furioso emero sciens
pro possessore possideo. Idem in titulo pro donato quaeritur,
an quis pro possessore possideat, vt puta vxor vel maritus?
et placet nobis **IULIANI** sententia, pro possessore possidere
eum, et ideo hereditatis petitione tenebitur. Dantur etiam
tituli quibus tam ius hereditarium quam etiam ius in re
singulari acquiri potest, atque hi pro obiecti, de quo conuen-
tum

s) alio itaque sensu titulus pro possessore hoc loco sumitur, quam
in doctrina de usucacione, vbi pro possessore possidere dicitur, qui
hereditatem sibi ex iure praetorio delatam esse ex probabili ratio-
ne putat vid. tit. π. pro haered. vel pro possess. huic titulum pro
herede tribuit **VLPIANVS** in L. 11. in f. π. b. t.



tum est, diversitate, petitioni nostrae locum faciunt, aut eam inutilem reddunt. Sic ius hereditarium vendi donari etiam inter viuos potest, et rem quoque singularem a defuncto reliquam seorsim vendi donarie posse, quis dubitabit? Aduersus hereditatis itaque emtorem aut donatarium haece petitio recte accommodatur, quia pro herede possidet L. 13. §. 4. 8. π. de heredit. petit. At rei singularis emtor aut donatarius hac actione minime teneatur, quia titulo singulari possidet, quamvis si a putatio herede rem accepit, et verus heres dominium probare possit, rei vindicatione recte conueniatur.

§. XI.

Cur aduersus titulo singulari possidentem non detur?

Quid autem impedit, quominus hereditatis petitio aduersus singulari titulo possidentem instituatur? Haec quaestio tam intricata doctissimis quibusdam viris visa est, ut ignorantiam suam ingenue profiterentur ²⁾. Mihi faluo peritorum iudicio huius rei causa ex ipsius actionis fundamento repetenda videtur. Namque essentiale eius fundamentum in iure hereditario ponitur, hoc autem in tuitu rerum singularium, quas defunctus reliquit, ius possidendi adeo firmum heredi non tribuit, ut singulari titu-

lo

²⁾ vid. ILL. CAROL. FERDINAND. HOMMELII progr.
de interrogationibus in iure faciendis hodie non sublatis Lipsiae 1750



lo possidentem excludere possit. In hereditate enim saepe etiam obuiæ sunt res, quas defunctus titulo ad ius in re acquirendum habili minime tenuit, vti sunt res depositae, commodatae in precarium usum defuncto concessæ etc. Taliscomodi res possidendi atque vindicandi quoddam ius heredi quidem competit, qui in iura et obligationes defuncti succedit *L. 19. pr. n. de heredit. petit.* sed non tale, quod aduersus ipsum dominum verum aut praetorium valere possit. Equus qui in hereditate erat mihi a putatiuo herede venditus est. Tu hereditatem tibi non venditori meo reliquam ais, atque ideo equum a me postulas. Quo iure cogites! Mihi usucapiendi conditio competit, quae dominio quodammodo aequiparatur; tibi autem taliscomodi ius in singulas res hereditarias minime tribui potest *L. 1. n. pro hered.* Instas forsitan, equum, quem petis, in defuncti dominio fuisse idque ius in te deriuatum. Si hoc telo uteris, cedere cogor. Ast iam non hereditatis petitionem intendis, sed ipsam rei vindicationem u).

§. XII.

n) Paulo aliter rem explicuit ILLVSTR. IOH. CHRISTOPH
KOCHE in doctissimis medit. ad SCHAVMBVRGII compendium
Digest. medit. VI. Jenae 1757. in 8.



§. XII.

Cur aduersus pro herede vel pro possessore possidentem competit?

Expediti itaque iuris est petitionem hereditatis aduersus eos tantum prodeſſe, qui aut pro herede aut pro poſſeſſore poſſident, quorum quippe ius poſſidendi, probato actoris iure hereditario, plane corruit. Illius, quia iam patet hereditatem non ad reum, ſed ad auctorem pertinere. Huius autem, quia nullum titulum poſſeſſionis habere videtur, et praetumtio ex actuali poſſeſſione orta, ad excluendū heredis ius minime ſufficit; alioquin enim heres a nullo poſſeſſore res hereditarias vindicare poſſet.

§. XIII.

Familiae erciscundae iudicium aduersus quemcunque poſſeſſorem locum non habet.

Ex iure hereditario oritur etiam *familiae erciscundae iudicium*, quatenus ſcilicet reale eſt et ad diuidendam hereditatem communem tendit, non quatenus personale eſt, eoque dirigitur ut praestationes fiant, ad quas reus ex administratione hereditatis communis obſtringitur. Atque hanc quoque actionem realem aduersus quemcunque poſſeſſorem moueri non poſſe, exinde iam intelligitur, quod ex iure hereditario deſcendat. Quetmadmodum nempe hereditatis petitio aduersus titulo singulari poſſidentem non prodeſſe; ita nec haec actio aduersus eum prodeſſe poterit.

C



poterit. Sane omnia quae §. X. et *seqq.* de hereditatis petitione dixi, huic quoque actioni accommodari possunt, aqua non in fundamento, sed in fine differt. Ne de applicatione et legum praesidio dubites, speciem ex ipsis legibus petitam adferam: Emi agrum a TITIO nesciens quod ille ad hereditatem mihi cum SEMPRONIO communem pertineat. SEMPRONIVS postea aduersus me familiae ericundiae iudicio experitur, ager ille TITIANVS in hoc iudicium non venit L. 25. §. 7. et 8. *π. fam. ercisc.* quia eum titulo singulari possideo ^{w)}). Quamuis SEMPRONIVS, si dominium defuncti probare paratus sit, rei vindicatione partiaria me compellere possit L. 76. *π. de rei vindicat.*

§. XIV.

*Actiones quibus in integrum restitutio postulatur
sunt vel reales vel personales.*

Actiones quibus in integrum restitutio postulatur vel reales vel personales sunt. Etenim praetor restitucionem edicto suo indulgens non nouam actionem proponit, sed se illud factum, quo ius aliquod amissum est, ob iustum causam pro non facto habiturum declarat L. 7. §. 1. *π. de integr. restit. x)* quale ius quuum vel reale, vel personale esse

w) conf. IOH. TOB. RICHTER. in d. de *actione fam. ercisc.* thes. 13.

x) conf. VLRICI OBERECHTI d. de *in integr. restitut.* p. m. 40.
vbi

esse possit, patet etiam quod actio, qua restitutio petitur, vel in rem vel in personam competit. Plerique eam indistincte ad personales referunt, sed haec sententia et principiis, ut iam monstrare conatus sum, et legibus etiam aduersatur. Certe *rescissoriam actionem*, qua dominus intendit, ut usucapione ob iustum causam rescissa rem suam recipiat, diserte ad reales praetoriales refert imperator §. 5.
de act. PAVLIANAM etiam actionem realem esse posse ex §. 6. eod. discimus, quatenus scilicet ob ius reale in fraudem creditorum alienatum mouetur y). Nec obstat quod huiuscmodi actionem intendens non simpliciter ex iure amissio agat, sed allegata simul restitutionis causa rescisionem negotii, quod laesio continet, petat z). Hoc enim genus actionis non mutat, sed tantum nouam ei qualitatem addit. Est igitur actio, qua restitutio iuris

vbi in integrum restitutionem definit, *remedium praetoris extraordinarium*, quod per iudicis officium AMISSAM ACTIONEM in pristinum statum ex iusta causa reponit.

y) GOTHO F. LUDOV. MENCKENII d. de *actione PAVLIANA* §. 2. et 3. Lipsiae 1747. et IVST. HENNING. BOEHMER. in not. ad Inst. ad. §. 6. de act. not. x) et qui horum vestigia prescit IOH. IVST. RAABE in d. de *duplici actione PAVLIANA* Marburg 1753.

z) vid. §. 5. I. de act. IVST. HENNING. BOEHMER de act. fct. 2. cap. 12. §. 5.



realis petitur, realis, sed ut cum schola loquar, qualifica-
ta a).

§. XV.

*Remedia restitutionis in integrum ex iure reali in regula ad-
uersus quemcunque possessorem non competit.*

Quamtu[m] autem ista remedia, quibus restitutio
iuris realis postulatur, ad actiones in rem pertineant; mini-
me tamen aduersus quemlibet possessorem competit,
quum non in quois possesso[e] eadem aequitatis ratio, quae
restitutionem suadet, adsit. Salus etiam publica et com-
merciorum fauor non permittit, alienationes, quae stricto
iure valent, ita rescindere, vt res alienata a quois posse-
sore peti queat. Atque inde est quod restitutio ex capite
minorenitatis extra ordinem tantum aduersus tertium
possessorem auxilium praefest, si aut laesione gñarus rem
minoris comparauit, aut laedens eiusue heres non est sol-
uendo L. 13. π. de minor, aut minoris interest, rem
potius quam pretium habere L. 9. pr. π. eod. Nec restitu-
tio propter dolum aduersus tertium bonae fidei possessorem
competit. Quin ne quidem contractus bonae fidei, ne-
dum stricti iuris propter dolum ita infirmatur, vt res aliena-
ta a quois possesso[e] vindicari queat L. 7. C. de resc.

ver-

a) BOEHMER. cit. loc. scđ. 2. cap. 3. §. 49.



vendit. b). Tertius enim, qui emtionis aut alio titulo sibi rem comparavit, scire vix potest eiusmodi dolum interuenisse. Quid igitur magis aequum videri potest, quam ut illud contractus vitium, quod scire non potuit, ei etiam non oblit? ut ciuilem illam rationem, cuius modo mentionem feci, iam non repetam. Quae rationes quum apud nos etiam in GERMANIA locum omnino habeant, a me impetrare non possum, ut in eorum sententiam abeam, qui, quod dolo circumuentus alienauit, hodie a quo quis possessore vindicari posse docent. Quam sententiam pro-pugnant IOH. SCHILTER^{c)} et CAROL. GOTTLIEB K N O R R I V S^{d)} aliquae^{e)}. P A V L I A N A quoque actio quatenus realis est, aduersus possessorem vel fraudis participantem vel lucratiuo titulo possidentem tantum competit L. I.

D.

b) conf. GERHARD NOODT de forma emendandi dolii cap. 15.

c) in praxi iuris ROMANI exercit. XI. thes. 20.

d) in d. de usu pratico doctrinae iuris ROMANI de praetore et iudice pedaneo cap. 2. §. 7.

e) Ad ius naturale pronocant, quo contractus propter dolum, qui ei caussam dedit, est nullus atque irritus. Sed repono hancce iuris naturalis regulam non sine ratione limitibus quibusdam circumscripsit ius ciuile ROMANVM, qui in nostris quoque foris obseruari possunt et debent, vbi non merum ius naturale valet, sed quatenus ab imperantibus nostris legibusque receptis confirmatum atque ad statum ciuilem adaptatum est.

C 3



D. quae in fraud. credit, GOTHOFRED. LUDOVIC. MENCKEN f).

§. XVII.

Action tamen quod metus caussa aduersus quemcunque possessorem prodest.

Vnica fere quod metus caussa actione a regula aberrat, haec enim docente **VLPIANO** L. §. 8. π. quod met. causs. in rem est scripta nec personam vim facientis coercet, sed aduersus omnes restitui vult. Facilius nempe de vi, qua res extorta est, constare potest, quam de dolo, errore aut aliis contractuum vitiiis. Nec obicias pertinere hanc actionem ad personalium classem, quia in rem scripta dicitur **VLPIANO**. Scribi scilicet actiones dicuntur, si praetor eorum formulas in albo formulario proponit L. i. π. de eo qui protut. g). Natiua itaque horum verborum vis haec est, quod actionis formula in albo praetoris ita proposita legatur, ut rem petat sine respectu ad personam possessoris. Quod actionum realium naturae optime congruit. Quae si actiones in rem frequentissime in legibus appellantur h), verbum, scriptae vel conceptae subintelligi debet. Quamuis

f) in cit. d. §. 2;

g) conf. **ILL. CHRIST. FRID. GEORG. MEISTERI** d. de in factum actionibus cap. i. §. 18. exstat in opuscul. maxime ad ius ciu. eiusque historiam pertinentium syllog. pag. 309.

b) **BARNAB. BRISSON**, de V. S. voc. actione,



uis sciam, quod DD. eas actiones personales in rem scriptas hodie vocare soleant, quae aduersus quemcunque certae rei possessorem competunt f). Sane quod VLPIANVS in eadem L. §. 6. proposituit, personali actioni neutiquam conuenit: licet tamen, inquit, *in rem actionem* (quod metus causa) *dandam existimemus QVI A RES IN BONIS EST EIVS QVI VIM PASSVS EST; verum non sine ratione dicetur, si in quadruplum quis egerit finiri in rem actionem, vel contra.*

S. XVII.

Satis me iam de iis in rem actionibus differuisse sentio, quae *sua natura* aduersus quemcunque possessorem auxilium non praestant; reliquum iam esset explicare, quomodo contingere possit, vt eiusmodi actio aduersus certum aliquem possessorem naturalem suam vim amittat. Sed quia iam tempus non suppetit, alia occasione data hoc pertractabo. Ad id potius accedo, quod me commouit, vt hasce qualescunque meditationes conscriberem, nempe *vt SERENISSIMIS SAXONIAE DUCIEBUS huius academie NVTRITORIBVS MUNIFICENTISSIONIS, DOMINIS MEIS LONGE CLEMENTISSIMIS PRO munere professoris iurium et scabinorum collegii assessoris*

f) vid. SIM. PETER. GASSER. d. de actionibus in rem scriptis
earumque genuino conceptu §. 2. Halae 1738.



soris benignissime in me collato gratias persoluam, quas
mente concipere possum deuotissimas. Pro salute et inco-
lumitate TANTORVM PRINCIPVM ardentissima vota
nuncupans sancte polliceor, nihil mihi potius nihil antiquius
futurum, quam vt muneribus hisce gratiose mihi de-
mandatis summa fide ac industria perfungar. Illud tantum
addo, me omnem operam daturum, vt ciuium huius aca-
demiae omnium ordinum honoratissimorum in me amorem
prouocem, vt in posterum etiam eo, quo iam haete-
nus factum est, fauore, me studiorum suorum
ducem comitemque eligant.



ULB Halle
004 526 880

3



Sb

KD78

B.I.G.



D. GOTTLÖB IUS. OELTZE

PROFESSORIS PUBL. ET COLLEGIS SCA-

BINORVM ASSESSORIS

D.E.

1769, 2

13

A C T I O N E R E A L I

ADVERSVS QVEMCVNQVE

P O S S E S S O R E M

N O N C O M P E T E N T E

P R O G R A M M A.

I E N A E

E X O F F I C I N A H E L L E R I A N A.

1769.